

DE
PRIMIS NATVRAE
IVRIS NATVRALIS
FONTIBVS
EXPONIT

3d

AD
ORATIONEM QVE
MVNERIS ADEVNDI CAVSSA
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI
AD DIEM XXVIIII OCTOBris A. AER. VVL. CIC 19CC L
HABENDAM

HUMANISSIME INVITAT

IOANNES GEORGIVS
WALTHER
CONSILIARIVS SAXONICVS
ANTEA IVRIS NATVRAE ET GENTIVM PROF. PVBL
NVNC VERO CLEMENTISSIME CONSTITVTVS MO-
RALIVM ET CIVILIVM PROFESSOR PVBLICVS
ORDINARIVS



VITEMBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTLÖB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS

PRIMIS NATURALIA
IARIS NATURALIS

SCIENTIAS

EXPOSITIO

AD

O R A T I O N E M O V E

MULTIS ADIUNDI CAVSA

IN ACADEMIA ULTRIMERGENS

ANNO XXXVII. SEPTEMBER. A.D. MDCCLXVIII.

MAIORIS

PHYSICO-MATHEMATICA INVENTA

JOANNIS GEORGIAZ

A I T H E R

CONFITIVIAS SAZDONICAS

ANETIARIS NATURALIS ET CHIMICIS TROPIS BARD

MINERALIBUS ET METALLIBUS ET ALIIS TROPIS MO-

DIACIS ET CHINICIS TROPIS ET ALIIS TROPIS

ODONATIVIAS

ALITERMPLAE

LEPTO ETHERIA GOTHICORUM ETICHLIECI

ACADEMIAZ A TURIS

CONSPPECTVS

- I *Dignitas, et difficultas, Iuris Naturalis*
- II *Huius in primis fundamentum, et principium, controverson est, alis extra humanam naturam id querentibus*
- III *aliis vnam modo animi affectionem sequentibus. Hobbesius, et Montesquiuinus, metum, sed diverso studio, inculcant*
- IV *quaes neque prima, neque princeps, animi institutio est*
- V *neque naturalem a sociali penitus se iungit statum*
- VI *Grotius, et Pufendorfius, societatis amorem tuerantur, sed Iuri naturali non aptant vniuerso*
- VII *Idem de Cumberlandii dicendum mutuo amore*
- VIII *Pluribus propensostibus Hemmingius, et Hopperus, exquirunt, sed consilium non explicant. Prima naturae opus Grotiorum*
- VIII *Ill. Wolfsius perfectionem suam, et Ill. Cocceii voluntatem DEI sumunt, neque naturae humanae negligunt appetitiones*
- X *Sed non omnibus probant*
- XI *Alii solam rationem in principiū loco ponunt. Ben. Winckler, Buddeus, Heinicus, alii, in primis Burlamaquiūs, Gallus*
- XII *Sed neque Hombergio satisfaciunt, neque Ill. Glafeo: hinc uari Strubel et Ill. Schmausii conatus*
- XIII *Alii denique veteres habent autores de principiū naturae, vii Exc. Ernesti, et Cous. Hommelius. Huius optatum de primis naturae*
- XIV *Claprotobi studium in his eruendis*
- XV *Propositum nostrum. Barbayracii error*
- XVI *Quae, experientia duce, de Primis naturae cognoscamus*
- XVII *Sunt vel propensiones naturales, vel notiones communes. De iis veterum pugna a recentioribus plurimis non recte diuidi-*
- cata. Tā περὶ τὰ κατὰ φύσιν, et δρμαχ, explicantur
- XVIII *Debent autem propens. naturales, quae maxime huius loci sunt, neque cum donis naturae singularibus, neque cum habilitatibus, inclinationibusque, neque cum animorum communioribus confundi*
- XVIII *Eiarum indubia signa, si omnibus hominibus communes sunt. Cautones de prima generis humani labo, et consuetudine*
- XIX *si anteriores ratiocinatione, vel nostro, vel puerorum exemplo, intelliguntur*
- XXI *si omnibus in promeu sunt. Quo tempore eorum diuidicatio suscipienda*
- XXII *si omnes conspirant inter se*
- XXIII *Veterum in his dignoscendis studium, maxime Ciceronis*
- XXIV *Prima propens. naturalis est, conservatio sui: altera, cognitionis, et veri amor*
- XXV *Tertia, pulchritudinis, incunditaris, ordinisque sensus: quarta, semper agendi aliquid studium*
- XXVI *Hae corpus atque animum potissimum nostrum iuvant*
- XXVII *Ad alios spectant, primo, mirus in procreatos amor, et societatis apperitus*
- XXVIII *tunc humanitatis sensus, latissime patens: et denique igniculi honoris laudique*
- XXIX *Propensiones superiores nos ad DEV M quaerendum colendumque impellunt. Immortalitatis*
- XXX *Voluptatis, Infinitorum*
- XXXI *Perfectionis et beate vivendi desideria explicata. Ciceronis dubitatio de voluptate*
- XXXII *Esse haec naturae Prima fontem iuris, veteres dicunt, non rationibus mununt*
- XXXIII *Comprobatur ex Legis natura. Locus ad Rom. II, 15, explicatus*
- A. 2 XXXIII

XXXIV Rationis humanae partes in

Iure naturali

XXXV Haec Prima naturae, et Ius natu-

rale in uniuersum, et sigillatim eius. prin-

pium

XXXVI et fundamentum moralium actio-

nrum, et obligationem, aliaque obscura, o-

prime illufrant, et quasi digito demon-

ſtrant

XXXVII Conclusio

I

CVM nullae res vehementius rempublicam contineant, quam religio, leges, et mores: post sacra diuinitus nobis tradita, maius meliusque munus non acceperimus Iure naturali. Ab hoc enim, tamquam a sancto atque augusto fonte, omnis manat recti honestique cultus, parendi imperandique ordo, atque in primis ratio iustitiae aequitatisque, ad quam leges humanae vel componuntur, vel componi debent. Idcirco satis mirari non possumus, quid sit, quod nobilissima haec doctrina, tam necessaria generi humano, ea que insita, vel potius innata, mentibus nostris, etiamnum plena sit dissensionis inter doctissimos viros. Vix duo paria doctorum, qui in aliqua sunt celebritate, reperias, inter quos modo de praecipuis conueniat rebus. Nuper duorum Goettingensium consensio, in adumbrando hoc iure, ut in re noua, fecit mirationem¹⁾

II

FERACIOR autem controuersiarum nullus est locus, neque celebrior nostra aetate, quam de ortu huius iuris, cum disputant, quibus in rebus, tamquam in tabulis, a numine inscriptum sit naturae ius, et quae huic apta nexaque est quaestio altera de principio, siue de via et ratione ducendarum legum ab uno capite, in discipli-

¹⁾ Elementa Iuris Naturae iunctro Ioannis Stephani Pütteri, et Gottfrid Achen-

walli VV. CC. PP. Goettingensium studio edita, Goettingae 1750



sciplinaeque orbem cogendarum. Omnes a natura, et ortum, et repetendum, ius putant. Sed horum alii extra humanam vagantur naturam, atque, ingenii aestu abrepti, aut frustra tentant praecepta Noachica²⁾, aut ad primam naturae excellentiam ante prolapsum, sed incognitam rationi, velut in naufragio ad insulam desertam, confugunt³⁾, aut nimis curiose speculantur vel naturae recessum⁴⁾, vel conformatiōnem, quam dicunt, hominis cum conditore, vel prouidentiam eius, vel theocratiam moralem⁵⁾. Hos quo diutius sequareis, hoc obscuriora videoas Iuris, a natura profecti, vestigia signata, vt tandem vel vetustatis, vel contortae subtilitatis, nube omnia auferantur. De his disciplinis exponere pluribus neque idoneum est hoc loco, neque necessarium. In relictis iam pridem habendae sunt, nec aliquem, putem, carum patrocinium, nostris temporibus, facile suscepturnum. Quin potius, qui hacc iam diligentius quaerunt, omnes a natura humana ducunt, vt debent, iussorum vetitorumque ortum: qui tamen, vt sit, in magna versantur varietate

III

ALII vnam animi affectionem, repudiatis aliis, sequuntur.

A 3 Eam

2) Notum est Io. Seldeni, Angli, *Ius Nat. et Gen. iuxta disciplinam Hebraeor. Lond. 1640 f. de quo adacutare exponit Ill. Glafius in hist. Iur. Nat. p. 135. seqq. ed. 1748. Seldeni vestigia quodammodo premit P. Castellus Iunocens Anfaldus O. P. in opere de Principiis Legis Naturae Traditione, Mediol. 1742. 4. et traditionem fundamenti loco haber. Conf. Ill. Maseouini de seletis Iur. Nat. et Gentium p. 4*

3) Huc spectat porissimum B. Valentini Alberti Compendium Iur. Nat. orthodoxae theol. conformatum Lips. 1676. de controversia hinc orra rursus optime agit Ill. Glafius c. l. p. 208. Reliqua Alberti scripta recensit Cl. D. Christ. Frid. Georg. Meister P.P. in Biblioteca Iuris Nat. et Gent. P. I. p. 326. ed. 1749. Deserta haec disci-

plina, nullius fere, nostra aetate, quam Consult. Ern. Io. Frid. Manzelii patrocinio defensa, ministrum Linnei Iuris Naturae veritatis, Rostochii 1726. Conf. Sammlung ernsthafter Schriften Franckf. und Leipzig 1739. N. XI. p. 575. seqg.

4) Io. Henr. Bodini *Ius mundi*, s. vindiciae Iur. Nat. Rintel. 1698. paucis placuit. Conf. Christ. Thomasius in diff. de Fundamentorum definiendi causas matrimoniales hactenus receptorum insufficientia, 1698

5) De his, atque aliis, conf. B. Iani diff. de Iudicis eruditorum de principio Iur. Nat. Vitemb. 1711. Ill. Rechenbergii diff. de Principio cognoscendi Iusti et Aequi ex Vilitate Lips. 1746. p. 16. seqg. In primis Ill. Glafius in excell. Iur. Nat. p. 283. seqg. ed. 1746



Eam casu, vel consilio, ex mente abreptam, amplectuntur illico, quasi filiolam vnicam naturae adamant, ornant, omnibus obtrudunt. Hobbesius quondam⁶⁾, et nuper Montesquiutius,⁷⁾ acutissimi viri, metum, aiunt, principem hominis commotionem esse, fontemque iuris. Hominem quenque natura sua modo imbecillitatem sentire suam, mire timidum esse: quod potissimum, in siluis et solis locis reperti, testentur, qui omnia semper lustrantes circa, quicquid increpuisset, pertimescerent. Hoc metu homines armari, dicit Hobbesius, audaces fieri ferociusque in alios⁸⁾. Montesquiutius contra, nudari, debilitari, frangi, abiici, abiectum autem nihil magnifice de se cogitare, singulis se putare inferiorem, bellum nulli mouere, sed amare, quin vltro offerre omnibus, pacem. At vero in statu sociali, a naturali plane diuerso, depelli timiditatem, contra fortitudinis sensum, viribus consiliisque collatis, oriri, quo maiores fierent homines ad rem gerendam audendamque. Tum homines societatis commoda sibi vindicare, eripere aliis, omnia dissidiis bellisque miscere: quod demum condendarum legum imponeret necessitatem⁹⁾

III

VTRIVSQUE, Hobbesii, et Montesquiutii, ratio, etiamsi ab uno fonte ducta, diuersissima tamen est, vt alter pacem dicat primam naturae legem, alter inde bellum omnium in omnes cogat. Hobbesii disciplina iamdudum in varias incurrit, et iustas, reprehensiones¹⁰⁾: Montesquiutius autem plausus, atque admirationes, orbis elegantioris excitauit. Habet, fateor, huius opus, viginti annorum spatio elabo-

6) Hobbesius de Cive Cap. I, p. I. seqq.

7) Montesquieu, *Vir in Gallia Illustrissimus*, dans son ouvrage de l'esprit des Loix Tom. I. p. 6. ed. Genev. 1749. 8) cuius alia quoque, ingenii excellenissimi documenta, celebrantur scripta.

8) Hobbesii Leviathan. C. 15. p. 72. seqq. De genuino Iur. Nat. principio Hobbesii script. Gottl. Sturmius Ien. 1724

9) Montesquieu dans son *Esprit de Loi* p. 7

10) Historiam controversiae tradit. Ill. Glafinus in hisp. Iur. Nat. p. 149. seqq. Scripta Hobbesii, aliorumque, hac in causa D. Meister in Biblio. Iur. Nat. p. 242. seqq. Viam et philosophiam Vir S. V. et doctiss. Iac. Brucker in hisp. crit. philos. T. V. p. 145-199 ut reliquias raceam

❀ ❀ ❀

elaboratum, quam plurima decora, habet documenta excellentis ingenii, atque eius non tam in vmbra culis scholarum, quam in luce ciuilis vitae, atque in rerum ipsarum sole et puluere versati cultique: sed vehementer vereor, vt bene prouisa, et diligenter explorata, principia ponat. Metus vel propensio est naturalis ad eauendum insita, ne, quibus iam vtimur, bonis excidamus: vel vehementior animi commotio ob futurum malum, itidem ex aliis propensib; orta. Idcirco neque prima affectionum, neque princeps, putanda. Praeterea metus, vt est naturale et constans desiderium, non delet, sed munit custoditque innatas nobis appetitiones. Nimirum abdita in nobis sunt conseruationis, pulchritudinis, humanitatis, societatis, aliaque naturae inuitamenta, quibus vt rite, et perpetuo, satisfaciamus, inter alia metus, monitor assiduus de propulsandis iniuriis, adiunctus est, ne bonis, in quae illa feruntur, tandem culpa nostra careamus. Tantum abest, vt homo in statu naturali nihil, nisi metum, sentiat, vt idem metus pulcherrimum propensionum naturalium chorum comitetur, neque abiiciat homines, sed moneat, sed cautos reddat, et prudentes. Alterum metus genus, in perturbationibus positum, neque in primis haberri potest animi affectionibus, neque huius est ioci

V

PORRO celeberrimus Gallus naturalem a sociali toto genere sciungit statum: in quo, etsi vtatur definitionis libertate, tamen minus recte consentienti omnium voci refragatur. Statum enim pri-
mum solum putat tranquillum, et pacatum: alterum, sociale, turbulentum, et bellorum caussam. Quod tam abest ab experien-
tia, vt nihil magis ei contrarium videatur. Vel inductus ab ele-
gantissimo auctore in solitudine viuens, etsi ad primum alterius
conspectum sibi consulat fuga, tamen in summas compulsius angu-
stias, vim vi repellit. Quin saepe a metu, vt recte vidit Cicero,¹¹⁾
profiscuntur iniuriae, cum is, qui nocere alteri cogitat, timet,
ne, nisi id fecerit, ipse aliquo incommodo afficiatur. Neque socia-
lis

11) Cicero in officiis L. I. C.7



lis tantum viuendi disciplina fortitudinis, et magnanimitatis, magistra est. Non enim humiles nascimur, non abiecto animo, sed nimium saepius audenter, quod vel puerorum declaratur exemplo, quorum audacia in proverbiū abiit, et qui plerumque damno suo cauti fiunt

VI

GROTIUS, et Pufendorfius, incomparabiles viri, aliique, cum animaduerterent, naturalem esse inter homines commendationem, et communitatem, in principii loco eam, ex qua naturae et leges, et officia, ducerent, posuerunt ¹²⁾. Laudandi, quod ipsius iuris ortum ex intima natura, eiusque primis constitutionibus, hauriunt: reprehendendi tamen multis visi, quod vnam modo, negligitis reliquis, sumunt affectionem ¹³⁾. Hic enim societatis amor naturae quidem est vox, et pro lege habendus: sed neque solum est naturae principium, neque idoneus ad officia omnia erga nos, et DEV M, comprobanda. Qui enim vel DEV M colere, societate repugnante, posses, vel te conseruare tuerique, cum id e re publica amplius futurum non putas. Sed habet haec res dubitationis nihil, ab aliis tractata fatis.

VII

I D E M de Cumberlandio dicendum ¹⁴⁾, qui, vt Hobbesii rationes conuelleret, amoris studium omnium erga omnes legem naturae principem posuit, contrario, et laudabili magis, quam felici conatu. Est nobis innata humanitas, qua ad nos quoque aliorum et bona pertinere, et mala, arbitramur, alteriusque vicem vel

12) Hugo Grotius de I. B. et P. prolegom. §. 6. p. 12. ed. Illust. Cocceii, et Pufendorf. in I. N. et G. L. II. C. 3. §. 15. p. 177. ed. Barbayracii

13) vid. Chriſt. Gortl. Schmarzii, *Viri Excellentissimi, Sylloge problematum Iur. Nat. et Gent.* p. 17. seqq. In primis Ill. Glafarium in *Iure Nat.* p. 259. seqq. 326. seqq. et p. 538.

eiusd. bīſt. Iur. Nat. p. 193. seqq. Controuerſiam, cum Pufendorfio, hac de re agitata, eleganter adumbrat Docriff. Brucker bīſt. philos. T. V. p. 763. seqq.

14) Rich. Cumberlandius, *Anglus, de Legibus Nat. Lond. 1672.* 4. Sed recte de eo iudicat Vir Consultiss. Lud. Mart. Kablius ad Biblioth. Philos. Struvian. T. II. p. 360.



prosequimur laetitia vel dolore. Sed haec propensio, et si in nobis
lissimis sit, in contentione tamen, et comparatione, cedat oportet
cum conseruationi sui, tum cultui diuino. Idcirco Cumberlandius
neque Hobbesio, populari suo, neque disciplinae sublimitati, satis-
fecit. Paulo melius omnino, qui, superiore et nostra aetate, con-
seruationem sui inculcant, latius patentem: qui tamen, omnibus ra-
tione et animo lustratis, in eiusmodi versantur, ex quibus se expe-
dire non possunt, dumetis. Tuitio sui, posthabitibus aliis propensi-
nibus, culta, in rationem utilitatis suae, omnia ad se rapientis, abit,
quae plurimum cuniculis honestatis extinctionem molitur. Nostris
temporibus in ea ornanda ceteris antistat Illustris Rechenbergius ¹⁵⁾.
Hic, ut tristem demat utilitati personam, suo iudicio ficiam, et pul-
chram reddat faciem, a germana fucatam fecernit ¹⁶⁾. Sed vereor,
ne plura, quam consuetudo ferat, huic studio naturali subiiciat, at-
que ipsam honestatem, ex longe pluribus propensionibus trahentem
ortum, cum eo confundat. Ipse Cicero, quo auctore libenter vir
excellentissimus vtitur, conqueritur quidem consuetudinem de via
deflexam, et sensim eo deductam, ut ab utilitate fecerneret hone-
statem: sed ipse non a sola conseruatione sui, sed ab omnibus pri-
mis naturae appetitionibus, dicit officia, atque ex his deinceps con-
flari, auctor est, efficique, quod quaeratur honestum, ut ipsa huius
forma, et tamquam facies, conspiciatur ¹⁷⁾. Quin Socrates, qui
dicitur execrari solitus eos, qui primum haec naturae cohaerentia,
(utilitatem atque honestatem) opinione distraxissent, eodem Cice-
rone

¹⁵⁾ Illust. Car. Ott. Rechenbergii Institu-
tiones Iur. Nat. Lips. 1714. multis de causis
vehementer laudandae, cum propter principi-
um non nullis aliquantulim displicerent, ab eo
illustratae sunt diff. de Principio cognoscendi
iusti et aequi Lips. 1746

¹⁶⁾ Duo ponit utilitatis germanae indicia,
p. 29 in diff. c: Primum, si quid ita expedit-
at, inquit, ut si in viuierium omnes, qui

ciusdem originis ac naturae sunt, et aqua-
le semet conseruandi studium habent, eo-
dem aliquando medio sint furvi, molestum
id nulli videatur: alterum, ne aquale aut
grauius danum inde oriatur, aut metuen-
dam sit

¹⁷⁾ Cicero. Offic. L. III. C. 6. coll. L. I.
C. 5. id. de Fin. bon. et mal. L. V. C. 9. seqq.
p. 238 - 264. ed. excell. Ernesti



rone teste, vniuersa prima naturae desideria fontem constituit officiorum ¹⁸⁾

VIII

ALII contra, cum, rationibus subductis, viderent, vnam animi appetitionem non sufficere Iuri enodando, plures in consilium adhibuerunt. Hoc non demum Pufendorfi aetate, vt multi existimarent, factum est. Exemplum praebent duumiri, qui, post instauratas litteras, Iuri naturali, tenebris ineptiisque scholasticorum sepulto, primam quodam modo reddiderunt lucem, Nicolaus Hemmingius, et Ioachimus Hopperus. Plurima Hemmingius ex sui conservandi cupiditate cogit: non pauca autem repetit ex reliquis animi affectionibus. Qua de re pluribus differentem in extremo de lege naturae libello consuluisse iuuabit ¹⁹⁾. Ioachimus Hopperus, et munere et doctrina quondam illustris, atque Hermanni Conringii summis laudibus nobilitatus, ²⁰⁾ iusti iniustique principia dicit DEI et naturae semina, quae a iustitia profluenta ex prima et inchoata intelligentia animis nostris insita sint, unde, quicquid toto orbe iuris sit, ac legum, enascatur, iisdem, quibus ego, verbis vslis. Significat autem, ortum iuris a naturae primis ducendum esse ²¹⁾. Sed, fundamentis iactis ad veterum sententiam, ipsum Ius connatum reliquit inchoatum. Idem vidit incredibilis vir ingenii, Hugo Grotius, sub initium immortalis de iure belli libri. Primis naturae, maxime ex Stoicorum sententia, vtitur ad asserendum naturae bellum ²²⁾, et praeclara multa de societatis

¹⁸⁾ Cicero de Leg. L. 1. C. 12. p. 746. id. de Fin. L. IIII. C. 2. p. 196. vbi Socratice et Academic. sententias explicat. ibid. C. 7. p. 201. sgg.

¹⁹⁾ Nicol. Hemmingius de lege Naturae, apodictica methodo concinnata, Vitebergae 1564. 8. Hic in extremo libro, paginis, capitibus, et paragraphis non distincto, bac, ex quibus de eius consilio conjectura facienda, ponit: Hacc de lege Naturae annotasse satis est, vt aliquo modo indicarem, igniculos

quosdam in hominibus adhuc reliquos esse, qui, si excitarent educatione bona et honestis exhortationibus, magis conspicerentur. Hi igniculi, hoc est, notitiae naturales de rebus honestis et turpibus sunt fontes omnium legum honestarum, rel.

²⁰⁾ vid. Herman. Conringii Opp. T. II. p. 22. III. 295. IIII. p. 785 VI. p. 196. ex ed. Goebelii. In primis ei tribuit repurgatae a foribus scholasticis Iuris prudentiae tandem T. II. p. 843



tis amore, antiquioribus consultis, tradit: sed, quod in legibus versatur potissimum ad alios spectantibus, in reliquo cursu operis sui solo societatis appetitu contentus est. Hunc Pufendorfius deinceps vniuerso naturae iuri aptare voluit

VIII

Qui principatum nunc tenent in Iure Naturali, Illustrissimi viri, Christianus Wolfius, et Samuel Cocceii, quorumque volumina versans plurima doctorum pars, tamquam Daphnis Virgilianus, merito

... insolitus miratur limen Olympi,
sub pedibusque videt nubes et sidera :

Hi ipsi in magna versantur varietate. Ius naturae sine DEO fingi posse, alter ait²³⁾, et pernegat alter²⁴⁾. Hic voluntatem DEI principium cognoscendi asserit, ille perfectionem sui. Vterque tamen fines huius prouinciae protulit, eamque maximis ditauit ornamenti. Vterque a humana ducit hoc ius natura : a sola Wolfius, Cocceius ab aliis quoque, praeter motus naturales, in consilium adhibitis, ab actionibus Creatoris, a rerum finibus remediisque, a consensu omnium gentium, quod his aequa sit, atque humanae naturae, numinis diuini voluntas insculpta²⁵⁾. Sigillatim Wolfius ita instruit studium perficiendi sui, quo omnes, ratione ventes, ducentur, ut ei, tamquam generi, plurimae animi affectiones subsint. Fundamenti loco ponit concentrum actionum naturalium, et libera-

B 2 rum,

21) Joachim. Hopperus de Vera Iurisprudentia, et quidem in huins altera parte, quae est de Elem. Iuris p. 267. Colon. 1580. 8

22) H. Grotius de I. B. et P. L. I. C. 2. §. 1. p. 129 ed. Cocceii

23) Illust. Chriſt. Wolfi vernünfrige Gedanken von den Menschen Thun und Lassen C. 1. §. 20. p. 17. et eiusd. Philos. Practica Vnivers. T. I. p. 245. 246 p. 191 ubi tamen aduersus atheos disputat. De DEO, legis

naturae auctore, egregia tradit ibid. Cap. III. §. 274. seqq. p. 214. seqq.

24) Illust. Sam. de Cocceii de principio Iur. Nat. unico et adaequato Francof. ad Viad. 1702. et 1712. 4 pluribus, ubi contendit voluntatem DEI eiusmodi principium esse. Eadem reperit in animaduersi. ad Grotii proleg. §. XI. p. 22

25) Ill. Cocceii eruditissime hoc comprobat in diff. proemiiali XII. §. 69. seqq. et breuius in Comin. ad Grotii proleg. §. VIII. p. 17.



rum ²⁶⁾, quod a veterum scito, naturae tuae conuenienter viue, non abhorret ²⁷⁾

X

IN principibus his viris copiam rerum atque excellentem iuris tractationem, pro eo, ac debent, admirantur omnes: de fundamentis autem positis multae multis suboriuntur dubitationes. Sunt, qui Wolfium obscurum sumere initium, clamitant, cum varia se ratur perfectionis notio, atque ea, quam ipse voci subiiciat, magis mathematicorum sit, quam philosophorum consuetudine trita. ²⁸⁾ Sunt porro, qui perfectionem hanc omnem putant in utilitatem abire, ab antiquioribus, et recentioribus, e tam sublimi principii gradu iam dudum deturbatam. Comparari perpetuo officia erga alios cum fructu, quem ex iisdem capiamus. Sublato autem hoc, etiam officia tolli erga alios. Proinde non facile explicari ea, quae interna luceant honestate, maxime cum moralitas interna a solis repetatur commodis, siue effectis. ²⁹⁾ Neque sui perficiendi studium primam naturae legem videri, sed ex multis demum aliis or tam, neque omnes complecti animi propensiones, ut omnes sub ea, veluti genere et capite, comprehendantur. Quae dubitationes, ad veterum mentem euolutu sui perficiendi studio, plurimum tolluntur, vti deinceps erit commonendi locus. Cocceum porro, quem propter ingenium, vniuerso iure subactum, in coelum tollunt, omnibusque praferunt, tamen voluntatem DEI principium efficiendi, quam cognoscendi, dixisse malunt, ³⁰⁾ negantque alia, quam humanam naturam, Iuris connati fundamenta esse. Verum vt illa non tam rerum, quam verborum, controuersia putatur, sic hoc facile conueniet, animaduerso, a Cocceio, sumta DEI voluntate,

²⁶⁾ Ill. Wolfius in Philos. Pract. Vniuers. T. I. §. 179. p. 143. et §. 167. p. 136. coll. §. 47. p. 40.

²⁷⁾ cf. Ill. Glafeii bish. Iur. Nat. p. 257. seqq.

²⁸⁾ S. V. Walchii Lexicon Philos. Voc. Vollkommenheit p. 2777

²⁹⁾ Excell. Erneſti Initia doctrinae solidioris P. III. C. I. p. 421. ed. 1745. Acres Viri aduersarios non tango

³⁰⁾ B. Io. Gottl. Hemeccius in Elem. Iur. Nat. sequitur Cocceum p. 7. seqq. sed efficiendi principium dicit voluntatem DEI p. 48. ab altero que cognoscendi p. 50. distinguunt

tate, potiorem semper naturae humanae fieri rationem. Sed utramque controuersiam non facimus nostram

XI

FVERVNT nostra et superiore memoria, qui ex vniuersis animi facultatibus solam rationem, in constituendo hoc iure, sequendam putarunt. Hanc, tamquam gubernatricem, in excelsa hominis parte sedere, omnesque dirigere actiones: in ea sola a numine, veluti in tabulis, inscriptas naturae leges esse. His ita rem coniectantibus praeiuit Benedictus Winckler, Grotio aetate superior, qui rationem dicit summam legem humanam,³¹⁾ et fontem iuris:³²⁾ eam cognoscere legem diuinam, et suapte vi intelligere: vniuersa naturae praecpta contineri amore DEI, sui, atque alterius.³³⁾ Wincklerum, agmine facto, multi sequuntur, in primis Io. Franciscus Buddeus³⁴⁾, et Io. Gottl. Heineccius³⁵⁾. Horum cauissam nuper Burlamaqui, elegantis uir ingenii, egit. Intellectum, contendit, necessario legem esse, propterea quod verum cognoscat in actionibus officiisque hominum: eiusmodi verum autem ipsam constituere legem.³⁶⁾ Ad ignorantiam erroremque disspellendum adjunctas habere ministras facultates: imperare instinctui naturali, inclinacionibus, commotionibus animi: videre imputationum cauissas: diuersos diiudicare naturae status, reliqua³⁷⁾. Neque infitias eundum, de obligatione³⁸⁾, aliisque rebus, hunc Gallum multa enucleate disputare, atque a Grotio, et Pufendorfio, saepe non sine cauissa facere discessionem

B 3

XII

31) Bened. Winckler, Solitquellenfis, in Principiis Iuris L. I. C. 7. p. 47. ed. Lips. 1615

32) Winckler in Princ. Iur. L. I. C. 9. p. 103. seqq.

33) Id. c. l. L. I. C. 8. p. 64. L. III. C. I. p. 238. seqq.

34) B. Io. Francisc. Buddeus in Elem. phys. practicæ C. 4. sect. I. §. 7. p. 244
35) Io. Gottl. Heineccius in Elem. Iuris

Nat. L. I. C. 3. §. 67. p. 50. per rectam rationem, inquit, vniuerso humano generi legem promulgatam esse, omnes fatentur. Sed iam A. 1737. quo primum liber prodit, in alia omnia abierant multi

36) Principes du Droit Naturel par I. I. Burlamaqui, Conseiller d'Etat, P. I. C. I. p. 9. seqq.

37) Burlamaqui c. l. p. 23-89

38) Burlamaqui c. l. p. 92. 216



VERVM alii in omnia alia abeunt. Rationem, etiam si eius multae sunt partes in iure naturali, tamen, vere proprieque loquendo, non efficere ius ipsum. Tantum abesse, vt iustum figat, vt ne verum quidem constituat, sed ponderet modo, aliunde oblatum perceptumque: modum cognoscere, quo ea, quae vera sint, inter se copulentur ³⁹⁾. Proinde acutissimus Homberg zu Vach, cuius de vniuerso iure naturali dubitationes omnium celebrantur ore, auctor est, nihil felicius internis motibus, et propensionibus, comprobare ius naturale. Plus has valere, quam omnia reliqua, summo studio conquisita, argumenta ⁴⁰⁾. Primus autem ⁴¹⁾, quod sciam, nostra aetate rationem de sede, quam adhuc in iure tenuerat naturali, plane deturbavit Fridericus Henricus Strube, non mediocris vir ingenii, qui neque in intellectu, neque in voluntate, abdita asserit iuris principia, sed in commotionibus animorum, naturae consentaneis, quas cum Cartesio passiones vocat ⁴²⁾. Has, suopte impulsi, nos commouere ad res gratas, non expectare imperium rationis. Omnibus parem, sed non vnam, harum reperiri rationem. In primis alias principum, alias ministrorum, munere fungi ⁴³⁾. Sed multa misceat egregius auctor, perturbationes vehementesque animorum motus, et naturales lenesque propensiones: quas res veteres, quibus vtitur, seiuixerunt, vt adeo minus commode hos in rem suam trahat. Pluribus aduersus Pufendorfium aliosque naturalem commotionum bonitatem tuetur ⁴⁴⁾, indutus Cartesii armis: sed summi viri, atque in principibus iuris naturalis doctoribus habendi,

39) Iste Ill. Glafcius, quo excellenti vritur in hoc Iure iudicio, exsillimat, Ius Naturae non per rationem promulgatum esse, idque pluribus comprobat C. 2. p. 227. seqq.

40) Dubia Iuris Nat. ad generosissimum dominum *** Duaci 1719. 4. Cap. I. §. II. p. 5.

41) Nisi forte hoc Christ. Thomasio tri-

bendum. Vid. Ill. Schmausii diss. sex Iur. Nat. praef. p. 1

42) Frid. Henr. Strube de Piernont dans sa Recherche de l'Origine et des Fondemens du Droit de la nature a Amsterd. 1732, et multis accessionibus aucta Peterb. 1740. p. 31 - 36

43) Strube dans sa Recherche de l'an. 1740. p. 36 - 48

44) Strube c. l. p. 38. 39



bendi, Glafeii, obiectionibus non satisfacit, qui recte monet, affectus vel perturbationes animi, nisi ratione duce, turbatores felicitatis nostrae, quam auctores, magis esse⁴⁵⁾. Interim eleganter discri-
men inter verum morale, et iustum, contra Wollostanum, atque ad-
eo etiam contra Burlamaquium, defendit⁴⁶⁾. Eandem fere, atque
Strubius, caussam tuctur excellentissimus iam iuris naturalis do-
ctor in academia Goettingensi, Schmausius. Nam, etsi prima iuris
vestigia in voluntate hominis legat, tamquam in fonte actionum
humanarum⁴⁷⁾: tamen ei tam amplam, et redundantem, subiicit no-
tionem, vt primas quoque propensiones, instinctus naturales, in-
clinationes, variaque hominum studia, tribuat, atque ex singulis
cogat leges naturales⁴⁸⁾. Accerrimos habuit, atque etiamnum ha-
bet, aduersarios, quod multa ad Hobbesii mentem disputet, nimium
impertiat instinctibus, atque ex inclinationibus etiam hominum, va-
riisque studiis, leges subroget iuri naturali.⁴⁹⁾ Sed tribuendus ei
est, meo iudicio, cum illustrati iuris naturalis, tum auctae animi
nostrri cognitionis honos

XIII

M V L T O R V M studia commouit nostra aetate excellentissimus Vir, Io. Augustus Ernesti, qui accommodatus ad veterum, hac in
caussa optimorum iudicium, praescriptum, primis, vel initis, natu-
rae vtitur, principiumque ponit iuris naturalis, vt nihil sit proban-
dum suscipiendumque, nisi quod sit secundum naturam. Secun-
dum naturam autem esse primo ea, quae propter internam quan-
dam honestatem, tum, quae propter bonum, ab actione profectu-
rum, probentur. Hinc duo existere iuris naturae decreta, sub qui-
bus cetera sint subiecta⁵⁰⁾. His, elegantissime dictis, haud dubie
impul-

45) Ill. Glafeius in hisf. Iur. Nat. p. 277-
285

46) Strube c. l. p. 10 seqq.

47) Ill. Schmausii diff. sex Iur. Nat. et
quidem diff. II. p. 25 seqq. eiusd. Vorstellung
des wahren Begriffs von einem Recht der Na-
tur 1748 p. 5. seqq.

48) Schmausius diff. l. c. p. 5-10

49) vid. Gründliches Examen über ein
in Goettingen herausgekommenes Ius Nat.
Frankf. 1748. 4

50) Io. Aug. Ernesti Initia doctrinae soli-
dioris P. II. p. 419



impulsus eius amicus est, Vir consultissimus, Car. Fridericus Hommelius, vt nihil magis optet, quam vt quis de primis naturae conscribat librum⁵¹⁾. Haec prima naturae, vniuersi iuris fundamenta, etiamnum nimis obscura esse et inuoluta⁵²⁾, quin, respectu ad haec habito, prorsus ignorari, quid homo sit⁵³⁾. Naturam et mores facile confundi, et fieri posse, vt pro primo naturae aliquid habeamus, quod tamen tale minime sit⁵⁴⁾: doctrinam quoque iuris vniuersi dubiam atque imperfectam manere, propterea quod signa voluntatis diuinae non satis sint manifesta⁵⁵⁾

XIIII

T A M inueteratam, tam iustum querelam, quam nostris quoque temporibus doctissimorum hominum conatus in iure naturali haberent, vt tandem aliquando sisteret, et compesceret, vir doctissimus Io. Christianus Claprothus, non tantum de cupiditatibus, vel potius propensionibus, elegantem scripsit commentationem⁵⁶⁾: sed his etiam naturae inuitamentis, tamquam fundamentis idoneis, excitatuit Ius naturale, sed magis adumbratum, quam confessum⁵⁷⁾. Hic, vt ingenue confitear, multa vidit in hoc cognitionis humanae genere, vt egregius pictor in vmbbris atque eminentia, quae alii non vident. Sed omnia refert ad sensum grati atque ingrati, vel voluntatis. Interdum propensiones animi primas, sedatas, et naturae aptas, cum cupiditatibus, quae et vehementes sunt, et inconstantes commotiones, confundit. Quae enim nulla temporis ratione habita se commouent, quae modum excedunt, quae pugnant inter se, eae non in blandis sunt naturae conciliationibus primis habendae, sed cupiditatibus aggregandae turbulentis⁵⁸⁾. Afferit quoque, leges

51) D. Carol. Frid. Hommelii propositum de nouo Systemate Iur. Nat. et Geut. ex sententia veterum ICtorum Lipf. 1747. p. 167

52) Hommelius in proposito p. 135. seqq.

53) Hommelius c. l. p. 137. seqq.

54) Hommelius c. l. p. 140

55) Hommel. c. l. p. 146

56) B. Io. Christ. Claprothi Sammlung Iurisprud-Philosophisch- und Critischer Abhandlungen p. 405. seqq.

57) Claprothi Grundriß des Rechts der Natur, Goett. 1749. 8

58) eiusd. Recht der Natur §. 61. p. 37

ges naturales sine idea legislatoris diuini et cognosci posse, et vim habere suam⁵⁹⁾: quod propterea ipsi assentiri dubito, quod in multis actionibus, sublata DEI vindicis cogitatione, obligatio tolletur omnis. Facile tum aliquis, oboli lucrandi caussa, alium, quin patrem, se interficere posse putaret, cum clam id hominibus omnibus se facturum sciret. Inest, fateor, hominibus propensio colendorum parentum, sed illae sui conseruandi, vel honoris tuendi, appetitiones reliquis sunt fortiores, et nisi saepe Numinis diuini timor obstaret, reliquias propensiones, commodum vel non representantes, vel impedientes, frangerent delerentque. Neque moralitatis, obligationisque vincula recte adstringit: neque rationi debitas partes, quae interpretis modo sunt, et leges naturales ad actiones hominum accommodantis, imponit. Reliqua iam taceo, fortassis monenda

XV

H A E C forte mecum reputans, cum nuper in aliqua prolusione, ad commendanda initia noui muneris a me conscribenda, occupatus essem, consilium, quod prius intenderam, repudiaui, atque aliquid de his ipsis naturae primis coepi disputare. Primum animus erat, antiquiore cum recentiore comparare politiam: sed inter commendandum facile sensi, rem non prolusionem, sed volumen, postulare. Tum aequalitatem naturalem inter homines, in quo naturalia erga nos aliosque iura innixa cohaerent, veteribus assertum ibam: quibus omnibus rei, tam necessariae, ignorationem affingit Babeyracius, vir alioqui non ineruditus⁶⁰⁾. Atque huius non apud Vopianum modo, aliosque veteres ICtos, sed quoque apud Ciceronem, Plutarchum, Platonem, alios, clarissima testimonia inueni, ut Gallum illum satis non potuerim mirari. Quod vero dubius animi essem in locis quibusdam, de manibus rem deposui, atque hac in re potius, temporibus nostris consentanea magis, elaborandum duxi

C

XVI

⁵⁹⁾ *ibid.* p. 41-47
⁶⁰⁾ vid. *Ill. Budri Methodus Studiorum*

*Iuris, cui inserta Babeyracii oratio, p.
197*



EXPERIENTIA docemur, cum animus plane tranquillus et liber est a cupiditatibus, imperio rationis in animi commotiones confirmato, tum in animo nostro nihilominus remanere abditas propensiones, sed placidas eas et constantes, naturae nostrae vehementer aptas, quas nulla temporum hominumque varietas, nulli fortunae casus, nullus conuictus vitaeque usus, delere penitus possint. Eiusmodi sunt, ut uno atque altero utraro exemplo, desiderium sui conseruandi, quod miserrimus quisque etiam tum sentit, cum omni spe melioris fortunae caret: sensus humanitatis et misericordiae, quo in aliis, ignotis quoque, casus humanarum misericordiarum grauiter accipimus. Nam unusquisque, vitiis non obrutus, et obtemperans naturae, nihil humani a se alienum putat: quod, cum humanissimus Chremes Terentianus in scena diceret, plausus ab uniuersis fertur datus, haud dubie, quia Romanorum quisque eandem humanitatis propensionem in se sentiret, voluptate insigni perfusus. Hae enim animi appetitiones non tranquillae modo sunt, sed, excitatae subito, re obiecta, animum quoque humanissimo voluptatis liquidae sensu complet. Sunt porro rationatione nostra anteriores. Neque a libera proficiscuntur voluntate, vel ratione, sed has tempore antecedunt. Hoc puerorum atque infantum declaratur exemplo, in quibus natura et sui conseruatrix, et liberalis, et aliis libenter commodans, et audiissima cognitionis, se sponte prodit. Propensiones has venerabundi in se intuentur, quibus sui cognitio volupe est: in iis naturae vocem audiunt, leges haud obscure scriptas, ipsaque virtutum, ut eleganter Cicero loquitur, elementa et semina admirantur. Cupiditates contra et perturbationes longius ab earum, et ipsius naturae, simplicitate recedunt, euagantur, et multum trahunt vitii: ut adeo in illis primis naturae, integre incorrupteque iudicantis, motibus habendae non sint.

XVII

SED age, quae fuse adeo, et libere, disputauimus, ea iam articulatim, et distinete, atque non tam veteribus, quam ipsi veritati consentanea ratione, dicamus. *Prima naturae, τὰ πρώτα κατὰ φύσιν*, sunt in mentibus nostris innatae vel *propensiones naturales*, οἷον *), siue prima naturae desideria, quibus ad nos aliosque conseruandos, et felices reddendos, impellimur⁶¹⁾, vel *notiones communes*, κοινοὶ ἔννοιαι, quae notitia ex propensionibus illis oriuntur, et modo auditae, nulla comprobatione adiecta, conceduntur⁶²⁾. Cicero saepe horum primorum naturae facit mentionem⁶³⁾. Sigillatim propensiones naturales iam vocat desideria naturae⁶⁴⁾, emendans Epicuri diuisionem cupiditatum: appellet haec, inquit, desideria naturae, cupiditatis nomen seruet alio, ut cum de auaritia, de intemperantia, dicat. Iam nuncupat primas naturae vel conciliations, vel institutiones, vel constitutiones⁶⁵⁾: iam semina uirtutum a natura data⁶⁶⁾: iam principia naturae, uel naturalia⁶⁷⁾: iam primos appetendi coepitus⁶⁸⁾: iam primos appetitus naturae: inui-

C 2 tamenta

*) οἷον εἰσὶ sunt interdum cupiditates, tamen quoque appetitiones naturales dicuntur, Cic. Fin. IIII. C. 14. p. 210. L. V. C. 6.

p. 235

61) Cicero de Fin. L. V. C. 7. p. 235. 236. cum docuisset, volupteris alios primum appetitum puerare, alios doloris vacuitatem, tum ex Socratiorum et Peripateticorum sententia, ab his aliis, inquit, quae prima secundum naturam nominant, proficiuntur: in quibus numerant incolumentem, conservationemque omnium partium, valetudinem, sensus integrōs, doloris vacuitatem, vires, pulchritudinem, ceteraque generis eiusdem: quorum similia sunt prima in animis, quasi virtutum igniculi, et semina. Haec prima vel Initia naturae explicat deinde Cicero c. l. C. 9-29. p. 238-264. L. IIII. C. 2. p. 196. seqq. et C. 7. p. 201. seqq. nihil que in lo:is

62) Pluribus de his Cicero de Legib, L. I. C. 9. p. 744 et cum de Fin. L. I. C. 10. p. 99.

dicat, hanc quasi naturalem atque instaniam in animis nostris inesse notionem, ut alterum esse appetendum, alterum aspernandum, sentiamus, haud dubie significat cum multis veteribus, notiones communes a propensionibus primis ortum trahere: quod vel in principiis arithmeticis, et geomericis, nobis connatis, intelligitur, quae manifesto ab amore ordinis, nobis insito, proficiuntur

63) Cicero de Fin. L. II. C. 11. p. 130. L. IIII. C. 5. p. 171. C. 9. p. 176. in primis L. IIII. C. 15. p. 211. rel.

64) Cic. de Fin. L. II. C. 9. p. 127. Studia naturae Fin. L. IIII. C. 11. p. 178

65) Cic. ibid. L. IIII. C. 6. p. 173. ex Stoicorum mente ibid. IIII. C. 13. p. 208. it. C. 6. 7. p. 201

66) Cic. ibid. L. IIII. C. 7. p. 202.

67) Cic. Fin. L. IIII. C. 6. p. 172. C. 7. ibid. L. V. C. 7. p. 236

68) ibid. L. IIII. C. 15. p. 211



tamenta naturae: primas appetitiones naturales: initia naturae vel apta et accommodata naturae⁶⁹⁾. Notiones communes ipsi sunt inchoatae a natura intelligentiae, vel quas natura in nobis enudauisset, vt scientiae essent fundamenta⁷⁰⁾. Cum a primis naturae desideriis intelligentiae communes proficiscantur, saepe inter se permuntantur ab antiquis, atque uno nomine vel principiorum, vel initiorum, vel primorum naturae, comprehenduntur. Sed tacitus hic pugnam veterum, de primis naturae, praeterire non possum. Nobilissimus quisque, et florentissimus, his vtebatur, vt totius quaestio- nis de finibus bonorum et malorum fons esset, teste Cicerone, in quo essent prima iuuitamenta naturae⁷¹⁾. Aristippus atque Epicurus solam voluptatem sequendam, Hieronymus solam vacuitatem doloris, Academici et Peripatetici, omnibus primis a natura datis fruendum esse, virtute adhibita, dicebant⁷²⁾. Secuti sunt Stoici, qui, obscuritate verborum et sententiarum adhibita, vt aliquid noui protulisse viderentur, consulto omnia turbarunt⁷³⁾. Auspicio quidem capiebant in doctrina morali a primis naturae, sed communibus nobis cum animantibus, atque positis in sola sui conseruatione: quod vel abunde Gellius testatur⁷⁴⁾. Sed progressi ea repudiabant, so- lam

69) Cic. Fin. L. V. C. 6. 7. p. 235-238.
L. IIII. C. 10. p. 205. et C. 17. p. 213. L. II.
C. 12. p. 231. L. III. C. 6. p. 172. seq.

70) Cic. de Leg. L. 9. p. 744. Guil. Cam-
terus in L. I. Lect. 4 manu inchoavit, sed
enudauit melius, hoc est, explicavit. Conf. de
Leg. L. I. C. 16. p. 750. et C. 22. p. 756

71) Cic. de Fin. L. V. C. 6 p. 235. Huc re-
ferenda Aristoteles φυσικὰ ἀγενά, qua a natura
nobis propensiones tribuantur, vt a primo
statori ortu quodammodo iusti, temperantes,
pudici, et fortes simus, vid. ad Nicomach.
L. VI. C. 13. p. 306. ed. Camerar. in 4. Mul-
ta hanc in rem ex eodem, et ex Platone, conge-
rere possem

72) Cic. de Fin. L. II. C. 11. p. 130

73) Grauter in Stoicos bac de causa inue-
bitur Cicero de Fin. L. IIII rato

74) Gellius in Noctibus Atticis L. XII.
C. 5. p. 556. ed. Gronou. inducit Taurum phi-
losophum de dolore, et gemitu, Stoici aegro-
taui, ad Stoicorum mentem, ita expounen-
tem: Natura omnium rerum, quae nos
genuit, induit nobis inolequitque in ipsis
statim principiis, quibus nati sumus, amo-
rem nostri et caritatem, ita prorsus, vt nihil
quicquam esset carius pensusque nobis,
quam nosmetipsi. Atque hoc esse funda-
mentum rata est conseruandae hominum
perpetuitatis, si unusquisque nostrum, si-
mul atque editus in lucem foret, harum
prius rerum sensum affectionemque caperet,
quaes a veteribus philosophis τὰ πέρατα κατὰ
φύσιν appellata sunt: vt omnibus scilicet cor-
poris commodis gauderet, ab incommo-
dis omnibus abhorreret, rel. Chrysippus,
Stoicus

Iam inculcantes honestatem, nulla habita corporis ratione⁷⁵⁾. His primum Carneades fortissime occurrit, aduersusque eos felicissime scitum est tuitus suum, fruere naturae primis bonis, aut omnibus, aut maximis: sed adeo, ut ab iis fere fecerneret virtutis studium, siue honestatem⁷⁶⁾. Tandem Cicero, ut breuior sim, controuersiam hanc ad veterum mentem sedauit. Nimirum prima corporis spectanda esse, sed praecipue animorum, in quibus semina sint virtutum, quae per se in paruis sine doctrina moueantur. Haec prima esse elementa naturae: his auctis, virtutis quasi carmen (siue virtutum concentum) effici. Ita enim nos natos et factos esse, ut et agendi aliquid, et diligendi alios, et liberalitatis et referendae gratiae principia in nobis contineremus, atque ad scientiam; prudentiam, fortitudinemque aptos animos haberemus⁷⁷⁾.

XVIII

A B his naturae primis diuersa sunt, quae Θεία μολές contingere ab antiquis dicuntur, et quibus apti probeque affecti sumus ad litterarum studia, ad belli pacisque artes, ad imperatorias virtutes. Haec Socrates, cum apud Xenophonem, tum apud Aeschinem,

C 3 ger-

stoicus, apud Lucianum de Vitarum auctione p. 384. ed. Graeuii T. I. interrogatus, quid, ad virtutis fastigium delatus, facturus esset, respondet: περὶ τὰ πρώτα κατὰ φύσιν καταγενέσουμεν λόγω δι πλάτονος, υγείαν, καὶ τὰ τοιαῦτα. In his, quae prima secundum naturam sunt, versabor, dico, diuitias, sanitatem, et similia.

75) Stoicorum rationem explicat Cicero ex Catonis persona de Fin. L. III. imprim. C. 3. 6.

76) Ciceron. Tuscul. qu. L. V. C. 30. p. 452. coll. C. 7. p. 236. seq.

77) Cic. de Fin. L. IIII. C. 15. p. 211. cum monuissest, primos hominis quasi coepitos appetendi fuisse, ut se consenserent in ea natura, in qua ortus esset, tum, nondum auctem satis exploratum erat, inquit, quod maxime natura vellet. Explanetur igitur,

quid ergo aliud intelligetur, nisi ut nequa pars animae negligatur? Proinde Stoicis exprobrat, quod, cum vellet naturae conuenienter vivere, a natura discederent, cumque ex vniuersa appetitione rerum virtutis pulchritudinem apprexissent, omnia proicerent, rel. In primis rem, in contextu a me allatam, explicat zaberius de Fin. L. V. C. 15. p. 246. Proinde prima naturae non vniuersi vereres, sed soli Stoici, pro corporis modo bonis habent: quod et magnus ceteroquin Grotius de Iure B. et P. L. I. C. II. §. I. ignorasse videtur, et Boeclerus, qui ineptum, iudice Cocco ad Grotium c. l. p. 129 m) librum de primis naturae, nimirum ad Stoicorum scita, conscripsit. Neque Danius ipse ad Tuscul. qu. Ciceronis L. V. C. 30. p. 365. primorum horum notionem exhaustus



germanum discipulum suum, significat ⁷⁸⁾, cum docet, egregium virtute virum neque a natura, neque ab institutione, proficisci, sed θεον τι πτημα esse. Huc Aristotelis spectat ἐνθύμα, siue praeclara indoles, qua alter ab altero differt ⁷⁹⁾: spectant habilitates, quae etsi suapte natura ingenerantur, tamen in aliis aliae sunt ⁸⁰⁾: inclinatio-nes proclivitatemque, saepius in malis positae. Remouenda tam-en praecipue sunt a primis naturae animorum commotiones, cum animus vehementiori, aut voluptate, aut aegritudine, affectus, vel ad bona vera fertur, vel ad opinata. Huius generis cupiditates, illius appetitiones, dicuntur. Vtrumque genus nascitur ex primis propensionibus tum, cum vel impedita nobis, vel inopinata conse-quendi boni ratio offertur, vel rationi non obtemperamus. Pro-inde neque omnes perturbationes sunt voluntariae, vti tamen Stoici volunt, neque omnes naturales, quae reliquorum sententia erat antiquiorum. Tandem a Poiretti et Quaquerorum, quos dicunt, lu-mine interno diuersa esse, nihil opus est vt pluribus addam

XVIII

NOTIONIBVS constitutis, consequens est, vt viam et ratio-nem explicemus, qua inuestigari naturales propensiones, siue prima naturae proprie dicta, ab aliisque mentis affectionibus internosci, possint. Primum omnium autem hi sensus naturales sint omnibus hominibus communes, sint infixi in ipsa natura, comprehensi suis cuiusque sensibus, nullam habeant dubitationem. In quo tamen di-iudicando multae cautiones adhibendas sunt, ne consuetudine decipiatur, naturae corruptrice: quae saepe igniculos, insitos in mente, si non extinguit, obscurat tamen, alteramque quodammodo ef-ficit naturam. Saepe populi totius conspirans et conflatus con-sensus non attendendus: nisi forte ad surandum, et latrocinandum, na-tos

78) Xenophon. *ὑπόστρ.* L. **IIII.** C. 1. 2.
Aeschini Dialogi p. 20, edit Clerici. cf. Ma-ximi *Tyrri* diff. 17. et 32 et quae Clericus in *Sylva philos.* p. 166. ad Aeschinem habet, qui

vnum genus Primorum naturae recte expli-car, alterum non item

79) Aristotel. ad Nicomach. L. **III.** C. 7.

p. 133

80) Cic. de Fin. L. **V.** C. 13, p. 243



tos homines putare velis. Idecirco numquam cogitationem hanc deponere debemus, in hominum vel natura, vel essentia⁸¹⁾, nil nisi salutare, singulis, atque vniuersis, innatum a DEO esse, contrariumque huic pro insito non habendum⁸²⁾, sed vel a prima labe, vel a consuetudine, profectum esse

XX.

RVRVS haec appetitiones ipsa ratiocinatione nostra, sive rationis, proprie dictae, vsu, sint anteriores, ut earum vestigia, non leuiter pressa, in puerorum aetatula apparent. Proinde veteres, haec dum tractant, ad infantum naturam confugunt, in primis Cicero, qui, versatis superiorum philosophorum omnium monimentis moralibus: Omnes veteres philosophi, inquit, maxime nostri, ad incunabula accedunt, quod in pueritia facillime se arbitrentur naturae voluntatem posse agnoscere⁸³⁾. Magnae quidem in infantibus sunt varietates, multae in vitia impulsiones, aliaeque proclivitates, quas *évepttw̄ias* vocant. Harum caussas illi a corporum atque aeris constitutione, nos quoque a prima repetimus generis humani labe. Sed eiusmodi motus in infantibus, debita cura, sed neglecta plurimum, suscepitis educatisque, minus ac minus conspicuntur, et non tam vitiositatis sunt, quam imbecillitatis humanae, testes. Eluent nihilosecius in iis multae atque amabiles propensiones, consentanea naturae studia, atque igniculi paruuli virtutum. Praeclare Cicero, sunt ingenii nostris, inquit, semina innata virtutum, quae si adolescere licet, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem simul atque editi in lucem, et suscepti sumus,

81) Qui subtilius de natura disputare intererunt sequiore aetate, naturam ab essentia separaverunt. Cicero nunquam in libris residuis essentiae voce utitur, semper pro ea naturam ponens: extitit tamen, si Senecae ep. 58 fides habenda, in omisis. Deinceps litterae, in sacra porissimum ciuitate suborae, discrimen intulerunt. Hac in quaestione Iuri Na-

turalis natura idem atque essentia valeret.

82) Turpiter se dedit quondam Matthias Flacius, Illyricus, qui originis, quod dicunt, peccatum hominis essentiam vel substantiam constitutere putabat

83) Cic. de Fin. L. V. C. 20. p. 252. conf. Lib. I. C. 9. p. 99. Lib. III. C. 5. p. 171. L. V. C. 15. p. 246. seqq.



sumus, in omni continuo prauitate, et in summa opinionum peruersitate versamur, vt paene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Hactenus Cicero ⁸⁴⁾. Sunt infinita veterum hanc in sententiam dicta, quae pluribus iam commemorare, non est necesarium

XXI

PORRO omnibus hominibus sint in promtu, vt de iis admoniti, eosdem facile in se sentiant. Multum enim, inquit rursus Cicero ex Torquati persona, interest inter argumentum conclusio nemque rationis, et inter mediocrem animaduersationem, atque admonitionem: altera occulta quaedam, et quasi inuoluta, aperiri: altera promta et aperta iudicari. Haec Cicero ⁸⁵⁾. Debet porro liber tempore, cum soluta nobis est desiderandi eligendique optio, neque animus aut spe, aut metu, aut consuetudine, aut legibus impellitur, harum propensionum inuestigatio suscipi, et diuidatio. Tum sensus non dubius harum naturae conciliationum cum suauitate nos mouet: tum cogitatione in eam defixi, nos voluptate perfusos putamus

XXII

IN primis horum naturae principiorum admirabilem concentrum esse, cogitemus: quod natura, vna in re versans, secum pugnare non possit. Nimirum differunt quidem tum rei obiectae ratione, tum modo: omnia tamen ad nostram felicitatem ita conspirant, vt vel contineant vel augeant eandem, etiam si ex solo conservandi tui desiderio nequeas explicare. Studium hoc nostrum modo plus, tum autem minus iuuant. Plurimum securitatis appetitus prodest: parum, et nihil saepe, misericordiae sensus, quo miseris bene cupimus, et nihilominus mirifice nobis placemus. Tanta vis est humanitatis, etiam commodo proposito nullo. Proinde omnes,

84) Cic. Tus. qu. L. III. C. 1. p. 351. 85) Cic. Fin. L. I. C. 9. p. 99
cf. de Leg. L. I. C. 17. p. 751.

omnes, a natura datae, appetitiones ad vnius rationem, tamquam ad obrussam, exigi, nihil est necesse. Antiquiores, et recentiores, hoc cum facerent, honestatem ab utilitate, voluptatem a germana seiuixerunt virtute: Epicureis solam voluptatem, Stoicis contra solam vrgentibus honestatem⁸⁶⁾

XXIII

HAC via et ratione non difficiles sunt inuentu naturae institutiones. Epicurus, et multi nostra aetate, omnia ad sensum grati atque ingrati, qui vel voluptatem pariat, vel dolorem, referunt: qui, etiam si humanae naturae ineſt, tamen non sua, sed longe aliarum rerum, cauſa innatus est putandus. Ad altiora quaedam, exclamat Cicero, et magnificentiora nati sumus⁸⁷⁾. In his inuestigandis veteres philosophi, Socratici, Academicci, Peripatetici, Stoici, graeci et romani, ingenium fere consumferunt suum⁸⁸⁾. In his tamen mihi Cicero principatum tenere videtur, qui pluribus in locis, magna ingenii vi, et verborum delectu, de iis exponit. Haec dum inter legendum mente agitamus, admiratio nos tenet diuitiarum a natura, vel potius naturae domino, in nobis reconditionarum, sed tristis simul subit cogitatio amissarum in prolapsione: quarum iacturam profani cum ignorarent, deploare non potuerunt. Nihilosecius animis tot inscriptae supersunt quasi voluntatis diuinæ significationes⁸⁹⁾, vt monitores, atque auctores officiorum, et iuris naturalis fontes, præsertim recte vtentibus, quin profanorum ipsorum iudices, esse possint. Harum non omni ex parte absolutam, quod fieri non potest, et nimis longum foret, sed adumbratam dabo rationem

D

XXIV

86) Cic. de Leg. L. I. C. 14. p. 749

87) Cic. Fin. L. II. C. 34. p. 159

88) Propere Cicero ea iam ex Socratis-
rum, iam ex Platoniorum, iam ex Peripate-

ticorum mente explicat, de Fin. L. IIII. C. 2.
p. 196 seqq. C. 7. p. 201. seqq. L. V. C. 9.
p. 238 seqq.

89) Idem putat magnus Vir Coceius ad
Grotium p. 17. T. I.



H A V D dubie inter omnes constat, primam naturae commendationem, et quasi vocem, esse, nos *vt conseruemus, et nostrum statum.* Eius rei enim propensionem non tantum communem cum omnibus habemus animantibus, sed imaginem quoque in paruis, tamquam in speculis, videmus, qui salutaria sibi appetunt, aspernantur contraria. Neque natura, vel potius naturae dominus, a quibus nihil frustra efficitur, nos ad interitum condidisse, sed ad vitam quam longissime producendam, putandus est. Hinc veterum disciplinarum consentiens vox celebratur in primis, naturam esse conseruaticem sui. In quo hoc breuior nostra, quo illarum abundantior disputatio est⁹⁰⁾. Proxime et secundum tuitionem nostri nobis innatus est *cognitionis, et veri, amor*: cuius tanta vis vnu cognoscitur, vt ad res considerandas hominum natura, saepius nulla utilitate inuitata, rapiatur. Hanc in pueris intelligit Cicero⁹¹⁾, hos delectari scit rebus nouis, etiamst eorum nihil interlit, ne verberibus quidem a contemplandis rebus deterreri. Admiratione autem afficitur, cum videt, vt pulsi requirant, vt aliquid scire se gaudeant, vt aliis narrare gestiant, vt pompa, ludis, atque eiusmodi spectaculis teneantur, ob eamque rem, vel famem, vel sitim perferant⁹²⁾. Commemorantur ab eo Ulysses, Archimedes, Aristoxenus, Archimedes, Pythagoras, alii, qui prae ingenuorum studiorum delectatione, nec valetudinis, nec rei familiaris, nec salutis, habuissent rationem. In re non dubia vtitur testibus non necessariis. Commodae, non sedatae, naturae sunt documenta: nam integra nos pueros ad iucundarum modo, iuuenes et viros ad salutarium quoque rerum cognitionem dicit

90) Cicero locis iam adductis, atque de Offic. L. I. C. 4. Praetereo alias propensiones, cibi potusque desiderium, somni, quietis, corporis mouendi, securitatis studia naturalia, rel. vapore quae omnia sub conseruatione sui, tamquam forme, subiecta sunt: ut adeo Claprobus securitatis desiderium, sejunctum a con-

seruandi studio, constituere non debuisset, Iur. Nat. p. 71. seqq.

91) Cic. Fin. L. III. C. 17. p. 171

92) Cic. Fin. L. V. C. 18. p. 249 C. 15. p. 247

XXV

CVM amore cognitionis arte nexus est *sensus pulchritudinis, iucunditatis, atque ordinis*, qui, et si in conuenientia partium ponatur, soliusque rationis, doctrina subactae, munus videatur, tamen, natura duce, neque agrestis Corydon Virgilianus tam ruris plenus est ⁹³⁾, neque infantes tam rudes, ut pulchro non commoueantur. Hi enim quam exsiliunt gaudio ad florum conspectum, ad fidum tibiарumque concentum, ad auium cantus. Hinc recte Cicero non paruam vim dicit naturae, quod homo, quid ordo sit, quid deceat in factis dictisque, quid pulchritudo, cognoscat ⁹⁴⁾. Rursum abditum in nobis est semper aliquid agendi, et *αὐταργεῖας, studium*, quod neminem mortalium in otio perpetuo vitam transfigere finit. Omnes mente aliquid semper agitamus, curiamus, molimur, et rebus a nobis confectis, laetamur. Vel inertissimi homines tamen animo et corpore mouentur, quaerunt quempiam ludum, aut tempus sermonibus, circulis, aut lessiunculis terunt. Pueri quoque conquiescere non possunt. Lusionibus, saepe laboriosis, sponte vacant; eaque cupiditas semper agendi aliquid una cum actatibus adolescit, ut rursum elegans cum paruolorum, tum adulorum, spectator, Cicerio, animaduertit ⁹⁵⁾.

XXVI

Atque haec sere sunt, quae natura in nobis propter officia erga nos inchoauit, ut ea ratione et vsu absoluamus, et perficiamus ⁹⁶⁾. Prima propensio potissimum ad corpus tuendum, altera ad intellectum acuendum, data est. Pulchritudinis, iucunditatis, ordinisque desideria primario excitant sensus externos: sed ratio haec ab oculis sensibusque ad animum transferens, pulchritudinem, ordinemque,

D 2 etiam

93) vid. elegantissime de pulchritudini sensu exponentem, Generosiss. atque incomparab. Oratorem nostrum de Berger in libro commentario de Naturali Pulchritudine Orationis p. I. seqq.

94) Cic. Offic. L. I. C. 4. seqq.

95) Cic. Fin. L. V. C. 15. p. 247. C. 20.

p. 252 cf. L. III. C. 5. p. 171

96) Quod idem inculcat Cic. Fin. IIII.

C. 13. p. 209.



etiam in factis consiliisque seruandum, docet ⁹⁷⁾. Propensio denique semper agendi nos occupatos tenet, atque omnes animi corporisque facultates, et ipsum statum nostrum meliorem reddit. Reliquae appetitiones, etsi quoque multum ad felicitatem conferunt nostram, tamen proprie in rebus, magis ad alios spectantibus, versantur.

XXVII

HAE potissimum sunt, primum, generis nostri propagandi appetitio, et mirus in procreatos amor, nobis rursus cum omnibus animalibus communis, quorum in foetu, et in educatione, laborem cum cernit Cicero, naturae ipsius vocem audit ⁹⁸⁾. Sed hic ipse labor in hominibus maior, et cura sobolis aetatem durans, reperitur. Vel in recens natos quod studium parentum appetit? Illi enim, etsi ab omnibus rebus nudi, quibus amabiles essent, in lucem edantur, tamen incredibiliter amantur. Idcirco putant veteres, ab hoc initio profectam communem generis humani societatem. Et profectus eius mediocris non est. Sed natura, hominum vniendorum blanda conciliatrix, praeterea nobis inseuit societatis amorem, quo homo ab homine non alienus est, solitariam fugit vitam, et coetibus aliorum interesse cupit. Ciuale hoc, πολιτεία, nobis a primo ortu obuersatur, puerique, cum soli sunt, clamores tollunt, libenter se cum aequalibus congregant, ludunt, decertant, victores gloriantur, victi animos demittunt, et rursus quaerunt eosdem coetus, et prae his splendidam etiam domesticam supellectilem spernuut. In natura abditam hanc appetitionem Socrates, et Aristoteles, primi, sermone, et scriptis, eruerunt: sed quam illi inchoatam reliquerant, Pufendorfus, aliisque nostra aetate excellentissimi Viri, absoluere conati sunt ⁹⁹⁾.

XXVIII

TERTIVS, itidemque cum hoc arctissime copulatus, est humanus.

⁹⁷⁾ Cic. Offic. L. I. C. 4

⁹⁸⁾ Cic. Fin. L. III. C. 19. p. 188

⁹⁹⁾ Merentur tamen monita summi Viri

Cocceii de corruptela huius socialitatis, a Pufendorfio aliisque admissa, attendi, in Comm. ad Grotium T. I. p. 16. seqq.



manitatis sensus, quo nescio tan vllus magis ornet, et laudabilem reddat, naturam nostram. Hoc vel aegritudinem ex miseria alterius, iniuria oppressi, capimus, vel remissi sumus et dissoluti in acerbissima iniuria, vel aequos, placabiles, mansuetos, lenes, mites, faciles, liberales nos vniuersis praebemus: quae notiones omnes a veteribus humanitati subiiciuntur. Ut adeo sub se misericordiam, mansuetudinem, placabilitatem, aequitatem, lenitudinem, facilitatem, liberalitatem subiunctas habeat. Nam licet haec singulis innata saepe non videantur, quod ea plurimum, vel parentum, vel consuetudinis, vel sua obscurant culpa: tamen humani quiddam omnibus a natura datum est. Vterer infantum exemplo, nisi eorum, incorruptorum praesertim, significaciones, exempli gratia, liberalitatis, misericordiae, facilitatis, vel proverbio sint notae. *) Tandem igniculos honoris laudisque in nobis sentimus. Non nobis tantum placere cupimus, sed aliorum quoque vel expectamus iudicia, vel veremur. Omnes laudis gloriaeque studio trahimur. In quo, dici non potest, quanto vinculo natura genus constrinxerit humanum. Hic appetitus egregios parit rerum publicarum rectores: hic magnos elatosque reddit animos, bonorum, et vitae saepius, in abiectis subleuandis, patriaque tuenda, negligentes: hic artium et studiorum, quibus praeparantur vitae praesidia, mater est. In magnis ille non tantum, ortu et munere claris, sed in pueris quoque cernitur, ambitione nondum infectis. Quod si ipsi nos demittere dubitamus ad coetus eorum, audiamus Ciceronem, qui se in horum circulos, et familiaritates, quam lubentissime saepe insinuauit. Hic, quanta horum studia certantium sunt! inquit, quanta ipsa certamina! vt illi efferuntur laetitia, cum vicerint! vt pudet victos! vt se accusari nolunt! quam cipiunt laudari! quos illi labores non perferunt, vt aequalium principes sint. Haec Cicero parvulorum admirator¹⁰⁰. His principiis, et quasi naturae elementis, ad alios colendos, atque amandos, inuitamur

*) Humanitatem porro comprehenduntur
grati animi significatio, amicitiae studium,
alia

¹⁰⁰) Cic. Fin. L. V. C. 22. p. 254 seq.
cf. L. V. C. 15. p. 247



SUPEREST Naturae dominus, qui sui excellentissimam notitiam in mentibus hominum quondam non inchoauerat modo, sed perfecerat quoque. At vero huic, prolapso admissa, quot tenebrae obductae sunt. Epicurus notitias DEI innatas, et fere semper inde ab utero materno nobis praesentes, putat, et veterum multi. Nos supra ostendimus, omnes notiones communes ex propensionibus naturalibus, sive primis naturae, ortum trahere, et per has nobis proprie connatas esse. Atque hae appetitiones, coniuncto studio, nos ad Rectorem naturae et conditorem ducunt. *Conseruatio nostri erigit* nos, circumspectos, timidos reddit, cum, experientia duce, cognoscimus, in nobis conseruandis saepissime neque nostra sufficere, neque aliorum omnium, studia: sed plurimas partes sibi fortunam, multas aerem, coelum, tempestates, vindicare. Haec cognitionis studium attentius contemplans, facile legit potentiae et sapientiae infinitae vestigia, nec quieticit inuestigando, donec inuenierit, qui difficilis inuentu non est, naturae conditorem. Tum pulchritudinis sensus in eum nos rapit considerandum porro, atque incredibili mentis commotione admirandum: *grati vero animi propensio* in colendum eum. Vno verbo: si vel maxime post labem primam notitiam DEI cuique statim ab ortu suo non obuersetur, tamen quisque eius comparandae habet admirabilem facilitatem: vt in notionibus communibus recte habeatur¹⁰¹⁾. Huc spectat *Immortalitatis appetitus*, cuius pleni sunt veterum libri, et quem parum abest, quin in primis naturae quodam modo ponam: nisi forte a maioribus, atque ipsis patriarchis, quasi per manus traditam putes, cuius rei tamen de multis gentibus confirmantur.

¹⁰¹ Cl. Io. Nelander, *Iur. Nat. et Mor.* P. P. in academia Gororum Carolina, in diffe- de Notitia legum natural. iusta, quam 1744 conscripte, comprobare voluit. sensum dependentiae a DEO, quam dicunt, in inscrictibus ipsis naturalibus aggregandum esse, sed illud parum vincit: quod eius in inscrictibus, codem, quo reliquarum propensionum, modo vestigium non est. At vero pueri, rationis usu aucti, atque

admoniti modo, DEV M et agnoscunt, et credunt, et venerantur, ut adeo recte a Theologis in Notioribus communibus numerentur, quae nobis quoque iustitiae sunt. Hinc ele- ganter B. Io. Francisc. Buddeus in institut. theol. dogmat. p. 193 seqq. inter actum ipsum, et potentiam propinquam, cum facilitate arque inclinatione coniunctam, distinguit.



firmandae admodum impedita ratio esset. Ante primam labem eius sensum in animis extitisse inter omnes constat. Sed post eam quoque residua eius pars non parua videtur. Omnes gentes, barbarae quoque, omnes philosophi, solis scepticis atque Epicureis, qui nullo hic numero sunt, exceptis, hanc constanter crediderunt, atque asseruerunt. Sed ratiocinatione ad hanc delati non videntur. Post tot infinita hominum studia, tot temporum decursus, tamen nullus repertus est, qui eam adcurate, inter veteres maxime, commonistraret. Omnes nihilominus eam credunt, etiam sacris germanis non initiati, omnes eam optant, neque sibi dulcem hanc opinionem demi sinunt: certo propemodum documento, eius nos anticipatum habere in animis quandam sensum. Sed haec iam pluribus disputare tempus non est.

XXX

ERUNT tamen, qui admirentur, quid sit, quod in primis his naturae neque voluptatem posuerim, neque infinitorum studium, neque perfectionis, neque beate viuendi. Sed generales has appetitiones, fusas per omnes, consulto huc reseruauit. *Animi voluptatem* insignem cum in nobis conseruandis, tuendisque, tum in rebus cognoscendis, in pulchritudine, in actionibus nobis aptis, percipimus: quod idem de reliquis confirmandum. Prouidentissimus naturae Rector singulis propensionibus magnum addidit voluptatis sensum, ut, suavi hoc et iucundo motu, hoc meliores proimioresque sint officiorum monitores. Atque sic nullo negotio tollitur veterum dubitatio, vtrum primis naturalibus voluptas insit, nec ne: ex qua se Cicero etiam non expedire potuit¹⁰²⁾. *Infitorum desiderium*, in animis occlusum, hanc habet vim, ut, quo plus opum et facultatum ad conseruandos nos habuerimus, quo plus cognitio-
nis, rerum pulchrarum, operum confectorum, voluptatum, laudum, comparauerimus, hoc maiora in dies cupiamus: ut facile omnes propensiones in vitia trahat. Apta tamen est haec progrediendi cupido ad studia hominum mouenda: et facillime, etiam me nihil monente, in pueris cognoscitur.

XXXI



XXXI IDEM constat de perfectionis desiderio, arcte infinitorum cupiditati iuncto. Itidem late per omnes patet animi affectiones primas. Etsi enim hae duces ad virtutem sunt, tamen non ipsas constituunt, sed earum quasi elementa habentur, teste Cicerone ¹⁰²⁾. Itaque nostrum est, ad haec principia longius progredi, et, iactis tam pulchre a natura fundamentis, ratione et sapientia excitare felicitatis aedificium. Proinde ut in solis naturae initii ne subsistamus, sed his, tamquam principiis ad cursum officiorum virtutumque conficiendum, vtamur: omnibus reliquis propensionibus addita est appetitio perfectionis: quae demum, ratione vtentibus, praefato est, atque rationis, in qua versetur, quasi materies. Reliqua est *beate viuendi cupiditas*, qua omnes incensos dicit Cicero, quae ἐνθυμίᾳ pariat, animumque reddit liberum terrore, et cui soli proposita sit virtus ¹⁰⁴⁾: ut pulcherrimus adeo propensionum naturalium fructus habeatur. Tendit in vita ad beatitudinem, quae tum existit, cum in bonis, nullo adiuncto malo, sumus.

XXXII

HAEC potiora sunt naturae prima, quae cum antiquioribus legum, omnisque iuris, fontes dico. Atque sic ad arcem commentationis meae perteni: in qua tamen ornanda muniendaque veteres prope me deserunt. Dicunt, propensiones naturales iuris fundamenta esse, sed non comprobant. Nos ad iustitiam natos esse, neque opinione sed natura ius constitutum, iustos natura nos factos, contendunt. Cicero de Legibus disputans ex primis naturae ius naturale cogit, et quidem cum ex inchoatis in animo intelligentiis, tum ex appetitione ¹⁰²⁾ Cic. Fin. L. II. C. 11. p. 130

¹⁰³⁾ Cic. Fin. L. V. C. 21. p. 254. A perfectionis notione porissimum nostra aetate passi Ill. Wolfsum eleganti breuitate Ius naturae duxit summus Mathematicus, sed nou minor ICtus, Vir excellentiiss. et Fautor Collega que honoratiss. Io. Frid. Weidler in Insit. Iur.

Nat. Vitemb. 1731. Conf. Gläfii hist. Iur. Nat. p. 277. Eaudem perfectionem deinceps fecuti sunt Viri Celeberrimi, Iacob. Georg Daries in Insit. Iurisprud. vñuers. p. 81. ed. 3. et Herm. Friedr. Kabrel, in dem Rechie der Natur 1746. p. 2. 37. seqq.

¹⁰⁴⁾ Cic. Fin. L. V. C. 29. p. 264 seqq.

titionibus ipsis¹⁰⁵⁾. Atqui si natura, inquit, confirmatum ius non erit, virtutes omnes tolluntur. Vbi enim liberalitas, vbi patriae caritas, vbi pietas, vbi aut bene merendi de altero, aut referendae gratiae voluntas poterit existere? Nam haec nascuntur ex eo, quod natura propensi sumus ad diligendos homines: quod fundamentum Iuris est¹⁰⁶⁾. Eosdem antiquiores propensiones has virtutum principia nuncupare, memini supra me monere

XXXIII

CVM Ius naturae legum moralium sit comprehensio: lex vero, quae certum actionis genus, adiecta obligatione, vel iubeat vel vetet: in propensionibus, huic iuri afferendis, videndum est, quae ad eiusmodi legem requirantur. Primum autem, et recte, putatur, ut ab auctore lata sit, qui potestatem legum ferendarum habeat. Alterum, ut cum singulorum, tum vniuersorum, efficiat felicitatem. Tertium, ut promulgata sit, et ad communem usum in tabulis publicis inscripta. Postremum denique, ut necessitatem feruandi, vel ius cogendi adjunctum, habeat. Haec vniuersa in propensiones naturales conueniunt. Eas humanae naturae inculpsit naturae auctor, qui infinitum imperium proprie vereque in res creatas habet, nec frustra quicquam facit¹⁰⁷⁾. Felicitatis porro nostrae cum singulorum, tum omnium, auctores atque amplificatores, si, ratione adhibita, iis utraris, esse possunt. Rursus promulgatae per naturam vel essentiam humanam sunt, tanta perspicuitate, ut facile eas in te sentias, et vel in pueris, velut in naturae speculis, usurpare oculis possis.

XXXIII

105) Cic. de Legib. L. I. C. 10. p. 745
C. 12 p. 746 in primis L. I. C. 7-9

106) Cic. de Legib. L. I. C. 15. p. 750

107) Conspirant sacrae litterae Rom. C.
II. v. 15. τοις ἐγενέρησαν εἰδούσιν id quod
lege iubetur, vel argumentum legis. Hoc
dicitur inscriptum εἰ τὰς καρδίας ὀμοίων,
sicut in morali hominis natura. Καρδία tro-
pice in sacris litteris cum Vet. tum Noui
Testamenti fere semper, paucis exceptis, no-

tar vel cupiditates malas, vel propensiones na-
turales bona, ut Matth. XI. v. 34. XX.
37. atque aliis quamplurimis in locis. Sed
cum cupiditatum hic nulla ratio habeatur, quod
per se patet, consequens est, ut argumentum
legis naturalis, in praeclera animi parte, qua
propensiones connatae et bonae continentur,
ipso teste apostolo Paulo, sit inscriptum. Plu-
ribus hoc comprobare non patitur locus



CVM porro optimae leges vel pugnare interdum inter se, vel obscurae, videantur, atque adeo interpretatione egeant, in primis comparatione atque applicatione ad singula facta: illis *rationem*, ducem et comitem, addidit, quae vim potestatemque harum legum eruat, quae officia inde ducat, quae formam describat virtutum, atque ipsas actiones, quibus, vel rebus, vel hominibus, aptari debeat, figat. Paucae sunt leges naturae, et illae fere e superioribus propensionibus eiusmodi generales¹⁰⁸⁾: Se et statum suum conseruanto, rerum vitium sibi cognitionem comparanto, pulchritudinis atque ordinis obseruantissimi sunt, in otio inertis nemo vitam transfigito, procreatos a se quisque sustentato, societatem coniunctionis humanae tueror, humani nihil a se alienum putato, ad veram laudem et gloriam contendito, DEV M immortalem, felicitatis auctorem, colito. Multa autem officia sunt ab his legibus, tamquam magnis fontibus, ducenda, siue actiones, legibus aptandae illis: multaeque virtutes explicandae, quarum ope ad seruandas leges, officiaque praestanda, idonei sumus. Atqui officia, legibus naturalibus consentanea, describere, et virtutes, officiorum effectrices, adumbrare, rationis humanae est. Sed haec omnia in prolusione coarctanda magis, quam dilatanda sunt

HAEC propensionum naturalium, a nobis constituta, ratio vniuersum ius naturae tam obscurum multis, in lumine ponit. Iis rite explicatis, nemo facile de iure naturali, sit nec ne, dubitaturus est: quod acutissimus Homberg zu Vach, accerrimus alioqui iuris naturalis oppugnator, quoque vidit. Tum principii inuentio difficilis non est: vana quoque atque inanis omnis de eo acrior disceptatio¹⁰⁹⁾. Quodsi omnes propensiones naturales, in naturae primis positae, leges sunt naturae, perinde erit, siue nulla enun-

¹⁰⁸⁾ Generales dico, quod ex propensionibus quoque, quae sub explicatis a §. 24. ad 30. subsunt, multae leges figi possunt

¹⁰⁹⁾ Conf. Frid. Alexand. Künboldi oratio de Logomachiis circa principium Iuris Nat. Lips. 1723



enuntiatione generali sumta, eas tradas,¹¹⁰⁾ siue aliqua vtaris, exempli gratia ea, qua Peripatetici, et Academicci, vni dicuntur, virtute adhibita fruere primis a natura datis¹¹¹⁾, vel Stoici, naturae conuenienter viue, vel recentiores, perfice te et statum tuum aliorumque, a qua, praesertim ad veterum mentem euoluta, Cicero ipse alienus non est¹¹²⁾. Ex me si quis, principii amicus, quaereret, quod in Iure Naturali scitum fundamenti loco ponendum censerem, hoc darem: *ratione adhibita, sequere prima naturae*, siue naturales propensiones¹¹³⁾

XXXVI

EADEM prima naturae, quam multi errantem habent, vagam, vel impeditam, de praecipuis iuris naturalis partibus scientiam, eam stabilem, certam, atque explicatam efficiunt. De moralitate, internane an externa sit, dubitatur. Haec prima ostendunt, omnium actionum moralium fundamentum nisi in ipsa hominis natura vel essentia, cui insculpta sint prima naturae. Neque **D**EVS, naturae auctor, proprio loquendo, contraria sancire, qua est sapientia et bonitate, vel voluit, vel potuit. Condere enim homines, et leges ad eorum interitum simul imperare, pugnaret. Proinde obligatio ex interna actionum bonitate recte repetitur: licet haec vehementius confirmetur et muniatur cogitatione de **D**EO, legislatore omnipotenti: vt adeo duo vincula iuris naturalis habeamus, nostram felicitatem, et voluntatem **D**EI, eandem clarissima naturae voce iubentem. Multa porro de conscientia optimae mentis, de imputatione, de dominio, de testamentis, de discrimine iuris naturae et gentium, de cultu diuino externo atque interno, quibus prima naturae non mediocrem accendent lucem, nisi me mallem finibus continere prolationis, addere possem

XXXVII

AT QVE adeo primis quodammodo lineis designauit corpus iuris naturalis, quod abhinc multis annis animo informare coepi. Cum enim iam ante sedecim annos, academicum orsus stadium, omnibus iuris inati doctoribus Lipsiae operam darem, vt mature, quem secturus essem, constituerem: subito in tantam rerum pugnam coniectus sum, vt neque exitum

110) Idem sentit Generosissimus atque incomparabilis ICrus noster Augustinus de Leyser in Meditat. ad Pandectas T. I. p. 25. scilicet non necessarium esse unum Iuris Na-

turalis principium

111) Cic. Fin. L. II. C. 11. p. 130


112) Cic. Fin. L. IIII. C. 13. p. 209. et L. V. C. 13. p. 244. seqq.



exitum viderem, et de hoc vniuerso fere desperarem iure. Alius societatis amorem tantopere vrgebat, vt alteri omnia, nihil nobis, deberi contendere; sublati erga alios officiis nostra vel imbecillitate vel senectute, optimum esse, si, vt decrepiti et non plausibiles amplius actores de scena, sic nos de vita, decederemus. Alius, assiduus huius derisor, amorem mutuum, solum iuris vniuersi principium, ferebat. Alius conseruationem sui inculcans in huius gyrum vniuersas cogebat leges naturales. Erant quoque bene multi, qui ad III. Wolfii preeceptiones commentabantur; quorum alii, velut pedarii senatores, in summi viri sententiam ibant: alii, tamquam hoc negotii ipsis datum esset, eum confutabant. Quid? animi vehementer dubius, conuenio forte illustrum virum Io. Iac. Mascouium, et qui me male haberet, scrupulum demonstro. Ille, qua est admirabili cum humanitate tum doerina, me libenter audit, ad veteresque ablegat: hos reclusisse iuris vniuersi fontes, iniuria saepe a recentioribus neglectos. Tum inter legendum attentissima cura veteres Ciceronem preecipue, Platonem, aliosque, mihi de Primis naturae, iuris naturalis fundamentis, suborta primum cogitatio est, cui, propter aliud cum Lipsiae, tum Torgauiae, et plurimum Weissenfelsae, imperatum vitae genus, etsi parum temporis impetriri potuerim, tamen omnia fauere facile vidi. Saepe tum et antiquiorum plurimorum consensu paene conflato sum delectatus, et admiratus recentiorum dissensum acerbum. Saepe optauit, vt missis non necessariis litibus, inchoatum egregie a veteribus ius insitum, et, veluti Apellis Venerem Coam, imperfectum relictum, absoluere tentarent. Sed alias fortasse haec pluribus disputandi occasio erit, cum hanc prolusionem non dispuicuisse cognouero. Nunc ad rem ipsam, cuius causa omnis haec suscepta est commentatio, me confero.

**POTENTISSIMI ENIM ET SAPIENTISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, FRIDERICI AVGUSTI, POLONIARVM REGIS, ATQUE ELECTORIS SAXONICI LONGE CLEMENTISSIMI, Auctoritate publice suscipiendum est munus tradendorum moralium et ciuilium, quod, vt more maiorum fiat, oratione, *de litterarum humaniorum usu in iure naturali* a. d. IIII. Calend. Nouembres, in auditorio maiori adibo: ad quam orationem benevolentissime audiendam vt Rector Academiae Magnificus, Patres Conscripti, atque omnium ordinum ac dignitatum Fautores bonarum litterarum honoratissimi, in primisque Generosissimi et Nobilissimi Ciues nostri conueniant, humanissime rogo. Scripti
a. d. VI. Calend. Nouembres, Aer. Vulg. cccccc L**






01 A 6627



sb,

DAT VD 18

Farbkarte #13



DE
LIMIS NATVRAE
S NATVRALIS
FONTIBVS
EXPO NIT

AD
ATIONEM QVE
IERIS ADEVNDI CAVSSA

ADEMIA VITEMBERGENSI

VIII OCTOBRS A. AER. VVL. CIC 10CC L
HABENDAM

HUMANISSIME INVITAT

NES GEORGIVS

WALTHER

NSILARIUS SAXONICVS

S NATVRAE ET GENTIVM PROF. PVBL

O CLEMENTISSIME CONSTITVTVS MO-

ET CIVILIVM PROFESSOR PVBLICVS

ORDINARIUS

VITEMBERGAE
EPHRAIM GOTTL OB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS